Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



3

jada et Barachiæ differit, Zacharia parentis ap- / Joannis Baptistæ
plicati magis congrue possunt; si dicatur hunc fuis-
se binominem, quod ex nunc citatis Patribus pro-
babile est. Contra Zachariam undecimum e
Prophetis minoribus faciunt tum ratio allata
ab Hieronymo ex ruinis templi, tum sensus verbo-
rum a Domino intentus; tum plurimorum auctoritas. Vid. Baronius ad an. 1853 et seq.
Ceterum quod contendit Calmetus Com. in h. l.
Matth. et Dict. bibl. v. Zacharias, Zachariam fi-
lium Baruch, qui diu postea, nempe an. C. LXIV
a Zelotibus medio in templo occisus est, a Domino fu-
isse prænotatum; et auctoritate Patrum, et simili-
tudine veri destituitur. Loquebatur certe Salva-
tor, ut a audientibus intelligeretur: at si de sero
futura, et nonnisi a filiis eorum patranda nece
dixit, intelligi plane non potuit. Præterea cur
hunc potius Zachariam, quam S. Stephanum aut
S. Jacobum nominavit? nempe, quia ultimum
Justum a Judæis occisum. Hoc vero quam falsum
sit, notissimum est.

Hæc de Patre S. Zacharia, de familia Abia,
et stemmate sacerdotali Aaronis, ac tribu Levi.
Affinitatem illius vide n. seq.

22) Luc. 1, 5: Uxor illius de filiabus Aaron.
Genealogiam ejus describit S. Hippolytus apud Nicepho-
rum hist. l. 2 c. 3, attestans; Sacerdotis Matthan
tres filias fuisse ex Maria uxore, quarum pri-
ma Maria, secunda Sobe, tertia Anna nomen
erat; et addit: Nupsit prima in Bethlee m
Maria, et peperit Salomen; nupsit quoque se-
cunda ibidem in Bethleem, et genuit Elisabeth;
et tertia Anna in terra Galilæa, protulit Mariam
Dei genitricem: ita ut Salome et Elisabeth et Dei
mater trium sororum reperiantur filiæ; proinde
Joannes Baptista et verus Dens noster, consobrini
ἀνεψιοι esse dicuntur. Quam opinionem pro-
bat et Papebrochius Act. SS. ad 24 Jun. et Baronius